



Hunc librum Muis  
suis inservientem  
iure possidet  
Theodor Mahlmann

TM 0284

Theodor Mahlermann

2. 11. 1995

Inhalt:

1. Johann Konrad Däumlianus  
Althea sancta sui iudex  
Straßburg 1653
2. Konrad Rühlens [Rüchel]  
Homilia de auctoritate Synodici Apostolorum  
Wittenberg 1601
3. Johannes Förster  
oratio apologetica pro Luthero  
Wittenberg 1611
4. Johannes Gisenius  
In piam et gratam Reformationis  
evangelicae recordationem ...  
errorum pontificiorum delineatio  
(Resp. Hermann Mathias Haseloff)  
Jüchen 1607
5. Johannes Gisenius  
Prodromus retractationis errorum  
pontificiorum  
(Resp. Otto Brauer [Brauer])  
Jüchen 1618
6. Christoph Cellarius (Praes.)  
De Pathema Lutheri in arce Wartburg  
pope Irenaeum, animadversiones historicae ...  
obtulit Augustinus Antonius  
1696; tertium excursus, Halle 1700

Weitere siehe hinten

2

Homilia  
De  
AVTORITATE  
SYMBOLI APO-  
STOLORUM,

*In almâ VVitebergensium Academia publicè  
hora 9. antemeridiana 12 Ianuar.  
epochæ Christi 1601,*

habita  
à  
M. CONRADO RVHELIO,  
VVitebergensi.

WITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri,  
ANNO M. DCI.



Illustri ac generoso Dn,  
DOMINO OTTHONI, COMITI  
A SOLMS, DOMINO SONNE-  
waldi & Baruthi, Domino suo  
clementissimo,

Gratiam & pacem in Christo precatur.



*Q*uam clementiam, quam pietate, Domine Cle-  
mentissime, hac in Academia nostra, Vestra illustris  
Generositas cum Fratre, excellentis ac p. m. paren-  
tem meum, Vestrum in ditione natum, dignata sit;  
non potuit non Parens nobis liberis deprecare. Ad ipsos enim li-  
beros quoque redundare, parentibus quod bene-fit, nemo aut paren-  
tum, nisi ingratus stupidus; aut liberorum, nisi degener vel negave-  
rit, vel dissimulaverit. Sed nec illa V. Clementia indicia tacuit,  
qua aliquibus in negocijs ex vestra peculiariter aula multis annis  
postmodum expertus est. Pro qua gemina (ut ita distribuam)  
in signi Clementia, etiamque pietate, quid a Parentibus, nedum a  
me, rependi par queat? Submissè tantummodo rogamus, geminum  
de Symbolorum Symbolo depromptum animi grati, ex studijs me-  
is sibi a parente vendicatum, Symbolum pristina illa Clementiam  
complectatur & foveat. Id quod eo certius futurum nobis persua-  
demus, quò illustriori clementia perceptam, Illustris ac Genero-  
sus b. m. Frater, similis materia Symbolo similem declaratam  
memoriam ante biennium manu propria significabat. Pa-  
ter Iesu Christi Illustris V. Clem. unversamque Illustris fa-  
miliam vera Ecclesia salvam & florentem diutissime conservet.  
Dabantur V. Viteberga, ex Museo, anno incarnati Filij Dei 1601.  
17 Ian. Antonio sacro, qui Eremita, Monachorumque princeps per-  
hibetur in historia Tripartita, arcendoque igni praefectus a Pon-  
tificijs.

M. Conradus Ruhelius.

RECTOR ACADEMIÆ VVITEBER,  
GENSIS SALOMON GESNERUS,  
S. Theologiæ D. & Professor Publicus, omni-  
bus bonarum literarum Studiosis S.

**D**E Bartholomæo Apostolo traditur, quòd dixerit, Euange-  
lium esse breve & longum; Longum quidem Scriptis Pro-  
phetarum & Apostolorum comprehensum, breve autem in  
synopsi Symboli Apostolici redactum. Cùm autem ob memorie  
rostra imbecillitatem omnia religionis Christianæ capita quasi in  
compendium contracta Symbolo contineantur, æquum est, ut illud  
magnificiamus, diligenter ponderemus, & assiduè repetamus.  
Nam ut in castris sua Symbola milites semper in ore & memoria  
habent: Ita Christianos, sub Christi vexillo militantes, semper  
in excubijs esse, suumq; symbolum animo versare ac ponderare  
necesse est. Myrmecides Milesius & Callicrates Lacedæmonius in  
admirationem venerunt, quòd eorum alter quadrigas adeò exi-  
les finxit, ut sub musca abscondi possent, alter autem distichon  
elegium Sesami semini inscripsit aureis literis. Sed nugas hæc  
meritò appellamus in comparatione ad singulare Spiritus sancti  
artificium, quo ea, quæ in libris Veteris & Novi Testamenti pro-  
lixè descripta sunt, in fasciculum vel potius manipulum Symboli  
colligata, simul exhibentur. Sed cùm hac de re orationem erudi-  
tam conscripserit Ornatissimus juvenis, M. CONRADVS  
RVHELIVS, Electoralis Stipendiarius, quam cras, Deo vo-  
lente, horâ Nonâ publicè recitabit, omnes vos ad illius ausculta-  
tionem invitamus. Bene Valete. Publ. prop. Dominicâ primâ  
post Epiphaniæ Domini, Anno M. DCI.

DE



DE AVTORITATE SYMBO-  
LI APOSTOLICI,

Quòd Symbolum ab autore suo non sit

αὐτόπισον & authenticum.



Veni Verbo & Sacramentis in terra

colligit obtinetq; Servator regni sui populum, Ecclesiam nuncupamus militantem: convenien-  
ter omnino rei ipsi, convenienter menti ac loque-  
læ Spiritus S. Hostem is humani generis non for-  
tunis, non vitæ duntaxat corporali, sed qua nec

Proximi  
ab usu Sym-  
boli in Ec-  
clesia.

Apoc. 12.  
I. Pet. 5.

in cœlo, nec in terris secundum Deum habetur preciosius quicquã, salutem sempiternam infensissimum, eumq; copijs potentem, varijs stratagematum formis insignem, vivis coloribus depingit: non tyrannum modò Turcicum, non lanistã tantum Romanum, sed ipsum seculi hujus dominum, aëris principem, tenebrarum rectorem, ipsum denique cordis nostri intimum quodq; figmentum. Cum istis, ab Imp. quidem nostro Iesu Christo dudum nostro loco debellatis & victis, nondum tamè plenissimo fidelibus dominio subiectis in hac vita dimicandum est. Sic vult Dominus mortificari carnem cum concupiscentijs suis: sic vult nos ipsius imagini conformes reddi. Interea verò nequaquam nos ipse deserit, sed de ducibus, de tribunis, de comitatu, & universa armatura nobis benignè prospicit. Hujus tanti Imperatoris, tanti belli cum ceu articulos militares, quibus se quivis baptisatorum Sacramento obstringit, continent Symbolum, quod vocatur, Apostolorum: Unica illud servandi opera communis mihi vobiscum incumbere videtur. Verùm si, ut hac eò rectius fungatur, articulorum autoritatem bonus miles inquirat; crimen vix erit. Imprudentis potius esset, nec scire, nec investigare, quatenus & quousque articuli valeant: improbi, si in fraudem edictorum Domini amplius, quàm par est, tenorem illorum pertraheret, pertractamve comprobaret. De hoc quia mihi à V. N. differendum pro auspicio nostrarum de Symbolo disputationum tribuitur: perficiam, Deo juvante, ut non solum suam Symbolo non derogatã dignitatem, sed etiam veritate apertam, ac contra eos, qui abuti illa emoliantur, manifestis argumentis vindicatã, sanus quisq; intelligat.

Ioh. 16.  
Luc. 11.  
Eph. 2 & 6  
Gen. 6 & 8

I. Cor. 15.  
ver. 24.

Augustin.  
Tom 6. O-  
rat. d. quin-  
que hæref.  
c. 1 & 2. &  
cont. Iudæ.  
Pag. 8  
Arr. c. 1.  
& seqq.

Opinionū  
diversa-  
rum com-  
memora-  
tio.

Calvin. 2.  
Inst. c. 16,  
§ 18.

Bellar. 4 de  
verb. non  
script. c. 4  
& 7.

Danae in  
Exposit.  
Symb.

Bellar. de  
Laic. lib. 3.  
c. 19.

Calvini o-  
pinio con-  
futat.

Atque ut inde oratio proficiatur, unde hæc omnis causa ducitur; lex occurrunt de Symboli Apostolorum pondere autoritativo opiniones ac judicia discordia. Sunt multi, qui illud indefinitè Apostolorum titulo indignant, quo sensu id faciant, faciendumve existiment, nec ajunt, nec negant quicquam. Sunt qui apertius asserunt, ob doctrinam & materiam, non item ob autores Apostolos, ita celebrari. Est Calvinus, qui rigidius prohibet, de autore ejus sollicitum esse. Est cum suis Bellarminus, qui negant, liberum esse, ut credas illud esse Apostolorum; sed constare affirmant, ab ipsis Apostolis & quidem omnibus communiter congestum esse. Est Danaeus, qui non modò verissimam perfectissimamq; esse, ait, Symboli Apostolici doctrinam, verumetiam & optimam & justissimam, imò *solum relicta* conciliandi gravissimas de religione quæstiones ac controversias jampridem inter eos, qui Romanam fidem amplectuntur, & eos, qui se Evangelicos profitentur, exortas rationem. Est denique rursus cum suis Jesuita, qui non posse vera, ait, membra Ecclesiæ vocari Lutheranos, etiamsi in Symbolo cum Pontificijs conveniant. Quia præter fidem illam requiratur subjectio ad legitimum caput Ecclesiæ.

Has inter sententias, ut secunda est omnium verissima, ita eidem prima nihil adversatur. Tertia periculosior est. Quarta ex fraudulenta temeritate; penultima ex futili vertiginosæ pacificationis somnio: ultima ex reproba emanavit assentatione.

Quanquam ergo magnum est, id extra controversiam habere, quod tota in Symbolo fidei nostræ historia succinctè distinctoq; ordine recensatur, nihil autem contineatur, quod solidis Scripturæ testimonijs non sit consignatum: non tamen sic unice id curandum, ut non simul illa de autore cura implicetur, an Apostoli sint ipsi illius constructores, nec ne. Et certè cur tanti consensum Symbolorum cum Scripturis faciamus; haud nulla est causa, quia eas Apostolos autores agnoscere per historias certissimas exploratum habemus. Quanquam etiã sufficit, certam habere Spiritus S. veritatem: hac ipsa tamen ut gaudeamus, contemnenda aut in promiscuo censenda *ἁποστολικῶν* Scriptorum Apostolicorū *ἁγίων* minimè sunt. Nisi forsitan in illis nihil referat, intelligere, aut cujus ore enunciata, aut cujus manu scripta: nisi quævis Orthodoxorum orthodoxa scripta parem obtinere dignitatis eminentiam cum Scriptis Apostolorum statuenda fuerint. In portu, quod ajunt, naufragium. A Calvini iudicio multum distat gentium Apostolus, qui in hoc ipsum epistolas suas



suas certo signo connotavit, ut Ecclesiae, ad quas scribebat, intelligere possent, an epistola illa esset Pauli vel ore enunciata vel manu scripta: Salutatio, inquit, mea manu Pauli: quod est signum in omni epistola: Ita scribo. Præterea eò minus oscitantes nos ea in re esse decet, quòd sub Apostolorum, Apostolicarumq; traditionum titulo ipsum intritum antichristianismum ex eventu didicimus. Quota pars eorum, quæ extra Apostolorum scripta apud hos vel illos autores de Apostolorum dictis & actis leguntur, ita fabulosa est, ut penè jam tum cum excessu Apostolorum tenebræ redijisse videantur, & quidvis credi cepisse in multis Ecclesiae rebus? Adeò vafre mysterium iniquitatis egit Satan. Cautè ergo accipienda veterum testimonia sunt: non de suo etiam loco deturbanda. Ab ipso Deo divini cultus normam profectam oportuit, is verò ad Apostolorum oracula & præconiū nos ablegavit. Solos Apostolos in N. T. virtute Spiritus sancti armavit authentica: iisdem solis hunc honorem habuit, ut fidei, morumq; canonem in certo librorum numero consignarent. Eundem verò sicuti suis, quæ tunc, cum scriberetur, erant, Ecclesijs publica testificatione tradiderunt: Sic matricum illarum Ecclesiarum providenti studio per historias indubias ac fide dignas ad nos usq; divina providentia propagavit & conservavit. Primitivæ & antiquissimæ Ecclesiae firma, aperta & consentientia documenta quanti facienda sint; næ eum planè rudem esse oportebit aut immemorem disputationis Papisticæ de verbo Dei non scripto. Næ vecors ille habendus erit, qui cum Iesuita digladiari de autore Symboli Apostolorum subterfugiat vel interdicit.

2. Th. 3. 17.  
Col. 4. 18.

Tertull. de  
præscript.

Nemini enim ipse, quantum in se est, dubitare permittit, sed certò constare scribit, quòd Apostoli omnes Symbolum illud communiter tradiderint. Potuerunt id nec Lindanus, nec Bonaventura, nec ipse Sententiarum Magister videre. Profert tamen suæ opinionis Iesuiticus consiliarius testes, Irenæum, Hieronymum, Augustinum, Ambrosium, Leonem, Ruffinum, Maximum. Testes nullo pacto rejiciendi, tres præsertim primi; si, quod Iesuita contendit, manifestè affirmarent. De Ambrosio enim plurimi tam veterum, quam recentiorum haud immeritò monuerunt, accuratè attendendum, quid ex illius scriptis recipiatur & quatenus sit recipiendum. Quamquam hac in causa ipsius testimonium nihilò plus Iesuitæ favet, quam vel Irenæi, vel Hieronymi, vel Augustini. Nam quòd Irenæus Symbolum vocet traditionem Apostolorum respectu doctrinæ solùm, dudum

Bellarminū  
opinio pri-  
or confu-  
tatur.  
Lind. lib. 3.  
Panopl. c. 8  
4. Sentent.  
dist. 6.

Chemnit.  
part. I Ex-  
am Conci.  
Trid. in 3  
gen Tradi.

dudum ex magni illius Theologi examine, ob cuius ipsius refutati-  
one in controversias suas suscepisse non semel fatetur Consiliarius  
Iesuiticus, discere potuisset. Ab Hieronymo in Epist. ad Pammach.  
nominatur Symbolum fidei & Ipei nostræ ab Apostolis traditum;  
sed quod in ea formula, quam hodie obtinet, & communi suffragio  
fit traditum, non exprimitur. Augustini testimonium planè nihil  
ad rhombum. Nam cum ipsius tempore aliqui ita argumentarentur:  
Philippus Eunuchum baptisavit nihil plus dicentem, quàm Credo  
Filius Dei esse Iesum Christum: Ergò indiscretè omnes ad baptis-  
mum admittendi sunt, etiamsi malam, turpemq; vitam, facinoribus  
ac flagitijs evidentissimis notã mutare noluerint: quin in ea se per-  
severaturos aperta etiam confessione declaraverint. Ad hoc Augu-  
stinus inter alia respondet per instantiam ex voce Baptisavit ejusdè  
historiæ: quod sicut Lucas in ea taceat gratia brevitatis, tamè *serie*  
*traditionis* sciamus implenda & impleta omnia: pari modo etiam in  
eo, quod scriptum est, *Evangelisasse* Philippum Spadoni Dominum,  
nullo modo dubitandum esse, & illa in Catechismo dicta esse, quæ  
ad vitam moresq; pertinent ejus, qui credit in Dominum Iesum.  
Quibus in verbis seriem traditionis aut Catechismum de Symbolo  
illo loqui & testari, quòd Apostoli id congesserint communi suffra-  
gio, nemo quamvis lynceus, nisi collyrio Iesuitico videbit. Num e-  
nim in Symbolo, quæ ad vitam moresq; pertinent, dicuntur?

Augustin.  
Tom. 10.  
Serm. d.  
Temp. 115.  
& 181.

Sed Ruffinum testem quoque audiamus. Hujus expositio sola  
evidentius Bellarmini opinioni astipulari videtur. Ea enim ut &  
duo sermones Augustini, non tantum Symbolo modulum hodiernum  
Apostolis assignant, sed etiam quibus causis concinnatus sit, quoq;  
fine & consilio Ecclesijs datus, commemorant. Quin in altero ser-  
monum illorum suis cuique articulo tribuitur certus Apostolus,  
eo planè ordine, quo hodie depicti ac typis descripti circumferun-  
tur.

Symboli  
origo iux-  
ta Ruffinũ.

Cujuscunque verò sit expositio illa Symboli, sive Ruffini, sive  
Cypriani: hoc certum est, si quæ cum Augustini Sermonibus ( si  
modò Augustini genuini sunt) de Symboli Apostolici origine reser-  
t, strictim ac præcisè, non cum grano salis ac sensu populari accipian-  
tur; aut in sua ipsius, aut in Apostolorum, imò in mutua utrinque  
viscera armari. Originis rationes Ruffinus juxta triplicem Symboli  
significationem in totidè penè classes distribuit. Symbolum, inquit,  
dicitur *Collatio*, dicitur *indicium*, dicitur *signum*. *Collatio*, quòd  
juxta

juxta præceptum Domini, ad singulas quisque nationes, discessuri Apostoli, omnes in uno positi & Spiritu S. repleti, normam sibi prius futuræ prædicationis in commune conferendo, breve istud unanimi-  
tatis & fidei suæ indicium, quod sentiebat unusquisque, computaverit; ne fortè alij aliò abducti diversum aliquid his, qui ad fidem invitabantur, exponerent. Indicium, quia in illo tempore, sicut Paulus Apostolus dicit & in actibus Apostolorum refertur, multi ex circumeuntibus Iudæis simulabant, se esse Apostolos Christi, & lucri alicujus vel ventris gratia ad prædicandum profecti sint, nominantes quidem Christum, sed non integris traditionum lineis nunciantes. Idcirco istud indicium posuisse tradunt, per quod agnosceretur is, qui Christum verè secundum Apostolicas regulas prædicaret. Signum, quod in bellis Symbolum certum quisque dux suis militibus tradat. quoniam igitur armorum habitus par, sonus vocis idem, mos unus est; ne qua doli surreptio fiat, si fortè occurrerit quis, de quo dubitetur, Symbolum prodat, num sit hostis vel socius. Denique hoc quoque attendisse Apostolos scribunt, quòd, cum sine fide nec in hoc seculo justificationis consequatur quisque gratiam, nec in futuro possessurus sit vitam æternam; credentibus danda sit fidei regula. Idcirco etiam hæc non scribi chartulis aut membranis ajunt, sed requiri in credentium cordibus, ut certum esset, hæc neminem ex lectione, quæ interdum pervenire etiam ad infideles solet, sed ex Apostolorum traditione accepisse. Hæc Symboli occasio, hi feruntur fines.

Quos si Iesuitica & Anglica accepisset vetustas; certè, si quid unquam in omnibus syllabis integrum servandum duxisset, Symbolum sine dubio servasset. Nam ut primum variatio fuisset admissa, periculum impendisset, ut sine & usu suo planè excideret, aut ad minimum non rite potiretur: ut exploratores pro socijs admitterentur, & socij pro hostibus repellerentur. Plus quàm crimen falsi esset, publicam totius Senatus Apostolici tanta solennitate, tanto consensu & consilio constitutam prædicationis & fidei Catholicæ regulam in minima vocula immutare. Quæ verò Symboli, non in syllaba, sed in integris dictionibus, integris articulis, in numero, in ordine, varietas? Nullus propè veterum, sicut alius, recenset. Non Irenæus aut Polycarpus, ut Tertullianus vel Augustinus; non Ignatius vel Chrysostomus, ut Leo vel Maximus, aut Basilus; non Eusebius Emyssenus, ut Athanasius aut Fulgentius,

Narratio-  
nis Ruffi-  
niana exa-  
men.

B

neque



neq; hic, ut Ruffinus, neque Concilium hoc, sicut illud: neque Ec-  
 clesia Aquilegiensis, ut Romana, neq; ipse Ruffinus in expositione,  
 velut ad Apronianum, neque ad hunc, ut in apologia ad Damasum.  
 Breviter, hic & hoc in loco addit, ille & alibi omittit: hic expla-  
 nat, ille contrahit, hic dittrahit, ille conjungit; hic præponit, ille  
 postponit. Cæterum ratio, cur non scribendum fuerit Symbolum,  
 quæ à Ruffino attextitur, incommodior adhuc redditur: sive gen-  
 tiles, sive hæreticos, sive hypocritas per infideles intelligas. Ad il-  
 los enim ut perveniret fides, unica incumberebat Apostolis cura & so-  
 licitudo: hi cum sint, aut ad minimum fuerint in Ecclesia, num evi-  
 tari posse speraverint Apostoli, si non scribatur in chartulis aut mem-  
 branis Symbolū; ut ad eos perveniret. Deinde verò articuli fidei in  
 cordibus credentium nec impediuntur, nec minuuntur scripture  
 in chartulis aut membranis. Secus nil quicquam ab Apostolis scri-  
 ptum fuisset. Quandoquidem eadem fides hauriri potest ex lectione  
 Codicis sacri, quæ comprehenditur in Symbolo. Hoc enim illius  
 solummodò est epitome. Quantæ ipse Ruffinus seipsum condemna-  
 ret temeritatis, si adeò ab instituto Apostolico abhorruisset Scriptio  
 Symboli in chartas? At num ipsi quidem in literas referre licuit, A-  
 postolis non item? an verò post Apostolorum tempora nulli futuri  
 infideles, nullusve metus, ut ad eos perveniret Ruffini lectio? Præ-  
 terea si planè indubium apud Patres constitisset, necessarium esse  
 credere, quòd Apostoli eam in formam collegerint Symbolum, qua  
 nos habemus; haud in expositionibus suis articulos singulos discu-  
 tiendo, probari se velle Symbolum ostendissent. Siquidem probè no-  
 verunt, dogmata, quæ ab Apostolo, nedum à totius Collegij Apo-  
 stolici Synodo profecta ex certis & inconcussis constant firmamen-  
 tis, obtinere indiscussa, nec probatione ad suam veritatem ulla alia  
 indigere. Vtpote quæ sibiipsis veritatis immotæ conscientiam de-  
 bent. Quod igitur in ultima Synodorum, quas quatuor aliqui consti-  
 tuunt, Apostolorum conscriptū fuisse existimatur ab aliquibus, scitè  
 interferit *D. Selneccerus, ut existimatur*: cum documentis destituatur  
 firmis. Idè accidit Athanasiano, quod Athanasij nomine decantatur;  
 cum tamè in historijs vix Athanasij mentio existet: quamlibet in Sy-  
 nodo Alexandrina conditum existimetur. Neque verò per se ipsam  
 historia illa subsistere, scrupulosè cum monacho intellecta, nequit:  
 sed majora etiam incommoda apparebunt, si ad Scripta Apostolorū  
 examinabitur, Tantùmne enim conventum, tam solennem Aposto-  
 lorum

Selnecc.  
 part. 2.  
 Pædag. de  
 Fid. tit. de  
 Trib. Sym-  
 bol.

lorum Synodum omiserit, nec digito saltem indicarit eo in libro Lucas, in quo ex professo præcipua quædam Apostolorum acta consignata voluit? Nullane fuit occasio, ut eam vel innueret in diario post acceptum Spiritum S. ? Finge, excogita, cur illud potius Concilium Ierosolymitanum, quo de Sacrificijs idolorum, de sanguine suffocato, & scortatione definitum est, quam hoc, quo commune unanimitatis ac fidei Symbolum collectum est, annotari debuerit. Paulus toties ex professo suam adversus hæreticos doctrinam apud auditores defendens, nunquam ad Symbolum provocaret: nec Timotheo, nec Titò, nec ulli Ecclesie inculcasset aut commendasset. Tanto enim tempore nihil Apostolo de Symbolo innotuisse, consentaneum minimè est. Et si maximè ipsum aliquantisper latuisset, ab ipsis tamè Apostolis, si non prius, tum profecto, quando Ierosolyma fuit, eo ipso fine, ne quo modo in vanum cucurrisset aut curreret, sibi traditum Galatis Gal. 2. significasset. Ijs enim quæ inter ipsum & reliquos Apostolos tum acta sunt, expressè confitetur. De Symbolo tamè pisce magis mutus.

Verum enimverò non tantum non communi Apostolorum consilio, sed nec ab uno eorum ad eum modulum redactum Symbolum esse, firmiora suadent documenta. Primò enim apud vetustiores, Ignatium & Tertullianum, adeò profundum est silentium de Apostolo, ut nec Apostolicum nomen Symbolum; nec solum cum alijs Tertullianus ex Scriptura articulos probet, sed & apertè Symbolum à Traditione Apostolorum distinguat, & ex hac illud demonstrandum sibi fateatur, si Apostolicum censeret. Hæc enim ipsius sunt verba: Superest ergo, uti demonstremus, an nostra doctrina, cuius regulam supra (in Symbolo) edidimus, de Apostolorum traditione censeatur. Cui accedit, quod paulo antè: Hæc, inquit, regula, à Christo ut præbatur instituta, nullas habet apud nos quæstiones. Quod si de Apostolo ipse aliquid scivisset, vix erat omninò illum taciturus. Nam Tertullianum ex numero Scriptorum Ecclesiasticorum ea quoque in re prorsus cum Iesuita excludere nequimus. Ad hæc ipse Augustinus verba Symboli per divinas Scripturas sparsa, inde collecta & ad unum redacta clarè testatur. Id quod ab Apostolis omnibus fieri non potuisse, si Scriptura N. T. simul intelligatur, manifestius est, quam ut negandum sit. Nam Iacobus ante scriptum aliquem librum mortuus est: multi verò ex Apostolis ante omnes libros editos ex hac vita discesserunt. Quod autè ab uno aliquo collectum sit, vix verisimile est; eò minus, quòd cum Epistola ad Hebr. Catechismi partes recenset, non Symbolum, sed fidem appellet, ab eaque mortuorum resurrectionem ac iudicium æternum contradistinguat:

Tertull. de præscript. & advers. prax.

Tom. 9. de Symb. ad Catechum. lib. 1. init.

Hebr. 6.

nostrum tamen Symbolum sub una & eadem parte complectatur. Ut ut sit, collatio nostri cum formula Ignatii & vetustiorum satis ostendit, numerum & seriem articulorum, quam hodie obtinet, post Apostolorum tempora inductam, usque receptum esse. Istis qui non movetur, apud eum longè promovebitur minus argumento ex voce Catholica, qua in Symbolo Ecclesia insignitur: cum quidem sub Apostolis neminem Catholicum appellatum fuisse testetur Pacia-

Pacianus  
epist. I. ad  
Sempronian.

At verò, si inter ea monumenta, quæ ab ipsis Apostolis memoriae prodita indubiè constat, locum non invenit Symbolum, quod tandem reponemus? Num id non magis Apostolicum æstimandum est, quàm Sedes Romani Pontificis Apostolica? an relegabimus ad Evangelia Andreae, Petri, Thomæ, Matthiæ, Nicodemi, Nasaræorum, vel ad Protoevangelium Iacobi, quod basis & regula esse debere fingitur, quam reliqui sibi in conscribenda historia Evangelica ad imitandum proponerent? num ad libros Recognitionum, vel ad octo libros constitutionum Apostolicarum, vel ad Canones Apostolorum? an verò ad Melchiadis, Eusebij Emysseni, Fabiani, Urbani, Hermæ, aliorumque innumerorum innumeras epistolas, sermones, historias, visiones, commentaria, libros, canones, homilias, expositiones, & nescio quæ ociosorum ventrum supposititia & adulteria S. Scripturarum alia? Absit, absit. Id enim non à Sole distinguere, sed ipsas tenebras esset stellulam aliquam putare. Symbolo Apostolorum nullus ex veteribus est, qui non quævis sua posthabeat. Nec, si ipsis V. Testamenti Apocryphis præferretur, injustè fieret. Quod enim doctrinam attinet, Symbolum verè est Clavis, medulla, nucleus, anima Scripturæ; quinta essentia, canon, regula, amussis fidei; verbum abbreviatum, fidem duplicis Testamenti in pauca colligens.

Danæi opinio,

Sed pandenda orationis vela. Tranquillum nimis Danæi vehimur ad æquor. Etenim Danæus neotericorum juxta atque priscorum elogijs illis eò rapitur, ut omnibus Christianum nomen profitentibus gravissimas inter Pontificos & qui se Evangelicos profitentur, ortas quæstiones & controversias conciliandi rationem & optimam & justissimam, imò *solam relictam*, Xenij loco exhibeat. Hoc se, inquit, ad tantum orbis incendium extinguendum, & ipsam, quod dicitur, aquam & auxilium afferre. Hoc utrisque ad concordiam ineundam offert dicatque, ut quorum doctrina Symbolo illi, ejusque



ejusq; expositioni, à Patribus traditæ & à se intra pagellas 56 colle-  
ctæ, consenserit, illa pia, Catholica, vereq; Christiana judicetur:  
quorum autem fides ab eo Symbolo, illiusq; vetusta interpretatio-  
ne recesserit, illa falsa, commentitia, minimeque Christiana censea-  
tur. Quamobrem minimè vult eos hæreticos esse, vel pro hæreti-  
cis habendos aut damnandos, qui totum Symbolum Apostolicum,  
ejusq; interpretationem (qualis quidem apud Patres Orthodoxos  
extat) admittentes, profitentes ac toto corde amplectentes, *ista no-  
vella* hominum commenta reiiciunt, reprobant, ac repudiant.

Audax certè levitas, sive regulam ipsam, quæ offertur, sive **Confuta-  
tio.**  
quo fine, à quo, quo jure & quibus, attendas. Nam ne quisquam à  
Danæi munere ac officio alienum existimet, quòd ipse primus &  
solus ratione istiusmodi tanto in negotio præscribat, mox initio fa-  
ctum suum munit: quia illud Christi animo meditatus sit suo: *Beati  
pacifici, quoniam ipsi Filij Dei vocabuntur*: item, quòd *Christianus*  
sit. Hui! quæ Danæum invasit religio? At forex sua ipse celare  
haud valet. Nam merum esse figmentum meditationem illam, ipse  
met in posterioris rationis verbis, cur Cyrilli Hierosolymitani Ca-  
techeses nusquam citaverit, nimis revelat: nimirum, quòd nemini  
locum *ingenij, industriaq; suæ ostentandæ* ereptum voluerit. Ergone  
qui veterum testimonia in aliquo articulo colligunt, ingenij indu-  
striæq; suæ ostentandæ gratia faciunt? Sic quidem ex suo ingenio  
de se suisq; socijs verissimè Danæus, de omnibus simpliciter, falsò  
judicat. Nemo nostrum dubitat, quin propter collectionem illam **Hieron. ad  
Sententiarum vellet dicier: Iste est homo divinæ intelligentiæ, tam Pammach.  
ingenium in numerato habens, ut quasi spiritualis Hippocrates con-  
troversias gravissimas inter Pontificios & Evangelicos sua potuerit  
mitigare norma. Quasi verò, ut ait ille, si qua meretrix una nocte  
aut duabus à scortando contineat, debet continuo leges de pudicitia  
scribere: & non solum leges condere, sed & sepulchra obruere o-  
mnium, quæ jam defunctæ sunt, foeminarum: quòd eas suspicetur  
sui similem vitam duxisse. Ostentationis spiritu in tantum occæca-  
tus & induratus est Pacificorum ille ordo, ut propè voverit, Spiri-  
tui veritatis nolle cedere. Id quod nisi tanquam præcognitum ad  
ipsorum libellos afferas, expedire te vix poteris: secundum illud:  
Qui nihil affert, nihil aufert. Illòsne veræ pacis cupidos reris, qui  
non tantum non unica & sola verissima illius regulâ; sed nec suis,  
quas sibi fingunt, normis acquiescunt, Modò totum timent, totum**

Danz. ad  
Tubing.

Aug. cont.  
epist. Pe-  
lag. lib. 4.  
in fin.

Epist. 23.

temperant, totum relinquunt ambiguum, & q. super ova & aristas  
gradiuntur: modò nostra qui non statim condemnet, eum fidei arti-  
culos tollere & negare proclamant. Hic regulam unicam relictam  
suam jactitat Danæus: alibi nil nisi Concilium cum Papistis crepat:  
Hoc ipsum jam aliud non vult nisi simpliciter universale omnium  
populorum Christianorum: jam Papistas ut apertos hostes omninò  
excludit, nec nisi Ecclesiæ reformatæ conventum postulat. Refor-  
matas hic tam nostras, quàm suas intelligit; mox tantùm suas. Valdè  
imbellem Calvinianis haberi Christum colligitur, qui plus nos fu-  
gere suum illud asseverant Concilium, quàm Satanam poten-  
tiam Christi. Ut taceam, quòd ipsi nec Formulæ Concordiæ si-  
mile quid habeant, nedum Pacificationi nobis ab Imperio datæ: il-  
lud Augustini, quid velit, perpendant: Quasi, inquit, nulla hæresis  
aliquando, nisi Synodi congregatione, damnata sit. Vix Iesuitæ  
adeo suos dementant miraculis Indicis, atq; suos suo Pacifici Con-  
cilio. Sed qualem, quæso, foveant illi pacem, qui cum eristicorum  
plaustra emiserint, in quibus ad ravim usque auditi sunt & audiun-  
tur, audiriq; ipsi flagitant: nihilo minus indefinenter querulantur  
(quod convictis ultimū est effugium) inauditos se damnari. Etenim  
ubi ad Colloquia, Mulbrunnæ, Mompelgarti & alibi res detrusa est:  
tum scriptis omnia potius, quàm verbis coràm agi & audiri malue-  
runt. Et, ne ulla rima fathiscat, ànne istis pax Christi cordi esse sta-  
tuat cordatus, qui cum plurimis pridè Orthodoxis Synodis damna-  
tarum hæresium nos accusent, non solùm tamen charissimos, quòd  
Christiana charitas jubeat, ut quosvis homines diligant; verumetiã  
fratres nos salutant, nostri amantissimos & studiosissimos vendi-  
tant, fratres à nobis nolentibus haberi poscunt: Vicissim quando O-  
slander ad Ecclesias Gallicas piam mittit admonitionem, id Danæ-  
us ut vasfrum & astutum consilium; ipsum autem Osiandrum vitu-  
perat ut blandum monitorem, subdolum persuasorem. Hic est Or-  
do ille Pacificus; hic, qui illos gubernat, Spiritus. Prius cedunt de  
jure & codice Dei, quàm ut in societate, in gubernatione, in adia-  
phoris, in civilibus se infirmorum accommodent studijs & volunta-  
tibus. Quod si talis Pacificorum pax, talis charitas; quale erit odi-  
um, quale bellum? Neque verò novus est ordo ille Pacificus. Ex-  
pertus cum suo tempore est Hieronymus, quem audiemus: Nihil  
grande est, inquit, pacem voce prætere, & opere destruere.  
Aliud inniti, aliud demonstrare: verbis sonare concordia, re exigere  
servitutem. Volumus & nos pacem; & non solùm volumus, sed ro-  
gamus

gamus : sed pacem Christi, pacem veram, pacem sine inimicitijs; pacem, in qua non sit bellum involutum : pacem, quæ non adversarios subijcit, sed amicos jungit. Quid dominationem pacem vocamus, & non reddimus unicuique rei vocabulum suum? Vbi odium est, appellentur inimicitia: ubi charitas, ibi tantummodo pax vocetur. Hæc de pace Hieronymus. De Christianitate autè Danæica, pro nobis loquatur Chrylostomus : qui, in hoc tempore, inquit, ex quo obtinuit hæresis Ecclesia, nulla probatio potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatē, nisi Scripturæ divinæ Hucusq; ille. Etsi autè Patrum expositio illa & pia est & vera, & mentē Symboli declarat; in tantis tamē de Christiana religione cōtroversijs, hoc seculo exortis, unicā & perfectissimā conciliandi Papistas & Evangelicos rationē relictā esse; nemo affirmaverit, qui illas probè cognoverit, nec Syncretismū vel Alcoranum novum cudere velit. Planè ad Calvinianos congruit, quod olim de Origenianis p̄nunciarunt Orthodoxi : A subscriptione Formulæ Concordiæ tergiversantur, quæ runtq; suffragia : alius non possunt damnare, quod nemo damnavit : ali<sup>o</sup> nihil super hoc à Patribus statutū est. Ut dum totius orbis p̄vocatur autoritas, subscribēdi necessitas differatur. Quomodo, inquiunt, damnabimus, quod Synodus & Sancti illi (velut Majorū gentiū Dij & Senatores Patricij, nō conscripti) non tetigerunt? Qui .n. damnarunt Arrium, Nestoriū, Evtychen, damnassent utiq; & Calvinianos, si illorum dogmata reprobarent. Scilicet uno medicamine omnes simul morbos debere curari : & idcirco Spiritus S. neganda majestas, idcirco neganda corporis & sanguinis Christi præsentia in cœna Domini; quia in Synodo Nicena super substantiam Spiritus S. & cœnæ Dominicæ silentiū fuit. De Arrio tunc, non de Calvinianis quæstio fuit : de Filio, nō de Spiritu S. aut Sacramento cœnæ, Baptismi, & alijs erroribus Zuinglianis : confessi sunt, quod negabatur; tacuerunt, quod nemo quærebat : quanquā latenter Calvinistas, fontem Arrij, percusserunt. Quocirca satis liquet, quantum non conducturum, sed nociturū sit, si nostri doctores Orthodoxi cōtra Pontificios & Zuinglianos omninō silerent, nec nisi Patrū verbis loquerentur. Idipsū exemplis innumeris declarari posset. Vnicū illud sufficiat de Pelagianismo. Fuit sine dubio Orthodoxorū Ecclesiastarū sententia de peccato originis & pia & vera ante motā Pelagij hæresin ; & tamē Augustinus longè accuratius loqui Pelagianis litigantibus coactus est : nobisq;

In Mat 24  
hom. 49.

Hieron. in  
epist. 33.

Basil. epist.  
78.



nobisq; hodie rursum paulò alijs loquendi modis contra Pontificios & Calvinianos idem status proferendus. Sic res antiqua novum nomen accipit, nec vocabulo novo nova rei virtus accedit, testante Ambrosio. Sic quia Nestorius, Pelagius, & alij Patrum temporibus strophas Calvinisticas nondum excogitarunt, solidè refutati sunt, quousque negando & corrumpendo progressi fuerunt. Siquidem si Zuingliana sophismata tunc extitissent, subsequuta fuisset etiam eorundè damnatio. Sic nihil proficit Sacramentarius subtilis pro crasso, nihil novus pro veteri: nihil acut<sup>9</sup> Iesuita pro Eccio, Cochleo, alijsq; Romanensibus horridioribus. Eccius ex Eccio, non ex Bellarmino; Carolstadius ex Carolstadio, non ex Pezelio; judicandus ac defendendus. Quanquam ergo antiquæ hæreses diversis temporibus rursum ab inferis excitatæ sint, hodieq; excitentur: eæ ipsæ tamen propter novos superadditos colores, ob novas argutias, distinctiunculas novas, concessiones, emollições, subjectiones novas, ita novam requirunt confutationem, ut non vetera, sed recentia planè videantur certamina. Vbi suum quidem usum habet collatio illa, quid nostra cognationis habeant cum antiquis; per quos Catholicos testes, ex quibus fundamentis veritas defensa sit. Interea verò non statim à nobis, ex nostro sensu, nostroq; Marte expositio subministrata atque expleta fuerit, nisi solam Patrum illam expositionem retineamus in omnibus syllabis & vocabulis. Restat enim adhuc sola authentica expositio S. Scripturæ. Hujus prima cura sit, Scripturæ perspicua, firma, selectissima, propria de quolibet articulo testimonia, in quibus, ceu in sua sede, genuinus cujusque sensus sine ambiguitate fundatus est, ad componendam de eo controversiam in promptu ac conspectu sint. Et quidem hætenus ipse Danæus in alijs suis classicis, solius Dei verba exigere: in nullius, quàm in ipsius Christi verba jurare velle Christianos visus est: nihil vehementius (ut nec falsius) nostris objecit, quàm quòd non unum Dei verbum sequantur. Nunc solam illam suam ex Patrum sententijs consultam relictam regulam nugatur: Solum hoc ad tantum orbis incendium extinguendum affert. Tàm procaciter Danæus universam illam pro solius codicis Canonici autoritate judiciaria, pro summo interpretationis jure, adversum Romanenses pugnam carpit & damnat: Contra verò omnes Papicolarum blasphemias comprobat & participat. Non hilo religiosius his ille de Scriptura sentit. Non modò ejus autoritatem, jus ac judicium cum Patrum expositione

partitur;

partitur: Sed his etiam, quàm illi, tribuit augustius. Ex Scriptura enim Danæus nihil, nisi probationem; sensum ipsum articulorum ex Patribus haurit. Sine sensu autem & expositione quid erit Scriptura? Scriptura sensus est ipsa Scriptura. Scripturæ sensum qui propterea amplectitur, quia Patres sic exposuerint; in ipsam Patrum vocem atque sententiam postremò fidem resolvit: in ijs salutem suam constituit.

Sed exigua fuisset profanitas ista, nisi etiam ipsas Scripturæ conciones de humanitate Christi, non tantum quatenus est corpus mobile, sed quàm in ipsa quoque hypostasi λόγος subsistit, docentes ac prædicantes; integramq; propositionem Testamentariam, per principia Physica (Finitum non est capax infiniti &c.) ut imperitè, sic impiè interpretarentur ac depravarent Sacramentarij. Neq; verò adeò in cordibus Calvinianorum profanitas istiusmodi delitescere potuit, quin in ipsa verba eruperit. Nihil enim, inquit, nos habere, nisi misera quinque & calamitosa verba. Et Martyr: Semper mihi visi estis minus, quàm par est, sapere, cum pro dogmate æquè absurdo ac inutili sic laboretis, nec pro eo tuendo quicquam habetis, nisi Christi τὸ σῆμα: Hoc est corpus meum. Quidam etiam Quinqueverbiæ appellant probationem. Verba, verba, verba, dicunt Neostadienses. Verbalis prædicatio, Dialectica enunciatio. Haud aliter atq; sacrificulus: Quid Biblia, quid Bablia? quid Biblia, quid Bablia? Credo, fat dixerim, si nihil amplius dicerem. Scirem tamen ex Danæo, num sola illa Patrum expositio Orthodoxa sit? nec hæreticus, qui illa Patrum testimonia, quæ in formula Concordiæ & alibi à nostris adducta sunt, ut vera & pia non agnoscat? Deinde recordari Sententiarium nostrum velim, quàm tristia ipse alicubi (sed calumniosè) Ecclesijs nostris ominetur Græcarum Ecclesiarum exemplo, quòd eæ hominum scriptis nimium tribuerint; ut jam non S. ipsa Biblia, & verbum Dei, sed quædam tantum Novi T. fragmenta unà cum Horologio & ὀκτώηχο & aliquot Basilij, Chrysostomi & Damasceni scriptis pro fidei fundamento legant. Quàm latam etiam viam Gratianus Canonum, Lombardus Sententiarum collectione straverit in Ecclesia Latina Antichristo; res ipsa loquitur. Quia enim Sententiaris semel per magistrum extra Scripturas proponendi dogmata & conciliandi quæstiones data est licentia: quidvis postmodum sine Scriptura, tandem etiam contra Scripturam affirmatum fuit prætextu antiquitatis.

Luther. in  
confess.  
maior.

In dial. de  
duab. nat.  
in Christo.

C

Denique



Deniq; Patres ipsi rationem istiusmodi controversias conciliandi  
manibus pedibusq; dissuadent ac improbant. Auferantur, ait Augu-  
stinus, de medio chartæ nostræ, procedat in medium codex D E I :  
audi Christum dicentem : audi veritatem loquentem. Et alibi :  
Ego solis eis libris, qui Canonici dicuntur, didici hunc timorem  
honoremq; deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid  
errasse firmissimè credam. Et mox : alios autem ita lego, ut  
quantalibet sanctitate doctrinaq; præpolleant, non ideo verum  
putem, quia ipsi ita *senserunt* : sed quia mihi vel per illos autores  
Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, per-  
suadere potuerunt. Et Basilius : Non putamus æquum esse, ut quæ  
apud ipsos obtinuit loquendi consuetudo, pro lege ac Canone ha-  
beat rectæ doctrinæ. Si enim ad probandam doctrinam rectâ va-  
let consuetudo; licet & nobis omninò hac in re illos imitari. Stemus  
itaque arbitrati inspiratæ à Deo Scripturæ; & apud quos inveni-  
untur dogmata divinis oraculis consona, ijs tribuatur omninò veri-  
tatis calculus. Item Optatus Milevitanus : Quærendi sunt, inquit,  
aliqui hujus controversiæ ( de anabaptismo ) iudices. Si Christiani,  
de utraque parte dari non possunt; quia studijs veritas impeditur.  
De foris quærendus est iudex. Si Paganus, non potest nosse Christi-  
ana secreta. Si Iudæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in  
terris de hac re nullum poterit reperiri iudicium. De cælo quæren-  
dus est iudex. Sed ut quid pulsamus ad cælum, cum habemus in  
*Euangelio*? Testamentum, inquam; quia hoc loco rectè possunt ter-  
rena cælestibus comparari. In summa, ad eò pia vetustas Calvinia-  
nam illam rationem acceptam noluit, ut Ruffinus novelli sapientis  
inventæ, seu, ut Danæus mutavit, novella hominû commenta nun-  
cupet; quicquid Apostolos tradentes fidem Ecclesiæ latuerit.

Tom. 3.  
In Psal. 57.

Tom. 2.  
Epist. 19.

Epist. 30.

lib. 9. cont.  
Parme-  
nian.

Ad Apro-  
nian. epist.  
36.

Cæterum nequiter ingratus est Sententiarius, dum recentiores  
Theologos, nostri præsertim temporis, ex Symbolo tum beneficia  
Christi, tum eorum usum uberius ac luculentius, quàm Patres, ex-  
plicare ac tradere asserens: ex adverso involvit, sed doloso silentio,  
quasi nostri ( de Calvinianis enim facilè assentimur ) non æquè lucu-  
lenter explicarint articulos & dogmata Symboli, atq; Patres. Cum  
res ipsa ostendat, propè etiam luculentius à nostris, quàm à veteri-  
bus tradi: vixq; post Apostolorum tempora luculentior in Ec-  
clesia inveniri, quàm hac Lutheri ætate, Symboli expositionem.

Quod Symbolum ipsum attinet, continet id quidè totam Chri-  
stianæ fidei verissimam summam: non tamen propterea, qui illud  
se

se amplecti fatetur, hæreticus non est: non propterea justissima & optima & unica conciliandi Papistas & Evangelicos relicta ratio est. Nam quis Arrianorū Symbolum illud non pleno ore ebuccinavit? Hodierni eo ipso Filium Patri consubstantialem negant, quia in Symbolo tantum Pater dicatur conditor cœli & terræ. Nihil quidem etiam de eodē argumento dici in S. Scriptura potest, quod non ad Symbolum revocetur: vix tamen ab omnibus æquè facile & intelligenter. Multò autem minus inde sequitur, quòd ex Symbolo gravissimæ controversiæ explicari & ad modernas quæstiones omnes responderi perspicuè possit. Nedum ut sepositis, neglectis & ceu sepultis Scripturis S. unica sit relicta & optima & justissima celebranda regula componendi controversias. Quòd enim additur, Si modò bene & sanè intelligatur: nugas hoc est magno conatu actas fateri. Nam de eo ipso controvertitur. Danæus suū sine dubio vult esse bonum intellectum: Papista itidē suum; nos nostrum: Qui verò intellectus invicē in plerisq; toto cœlo distant, ut alterutrū falsum & hæreticū esse oporteat. A Pontificijs enim & à calvinianis æquè ac à nobis Symbolū, saltē quoad verba, recipitur. Sic Conciliū Tridentinū statim sess. 3 illud ponit. Sic Bellarminus omnipræsentiam Christi, quā nos cum Symbolo congruere profitemur, cum omnibus ejusdē articulis pugnantē se demonstrasse putat. Sic idē omnes controversias inter Pontificios & eos qui se Evangelicos pfitentur, ortas revocat ad solos duos articulos: Credo Ecclesiā Catholicā, Sanctorum communionē, remissionem peccatorum. Sic Danæus ad eosdem revocat vitam sanctam, Sacramenta, & prædestinationē suam. Ecquis verò ita insaniat, ut omnes illas quæstiones decidendi & conciliandi rationē optimā & unicam dicitet cum Danæo? Ecquis respondere ex illo posset, in quib⁹ vita Christiana & sancta consistat? quævé Sacramentorū sint substantialia? Num qui in istis corruptelas tales, quales Papisticæ & Zuinglianæ sunt, fingunt & ppagant, pro hæreticis habendi non sunt, nec refutandi? Vllāne cum istis, quā talibus, possit aut debeat dari & cudi conciliandi ratio? ullāne concordia justissima & optima? Eset hoc non speculatorem, sed conspiratorē repræsentare: non arcere sed deducere lupos in ovile: non contradicentes cōvincere, sed Sphingem Syrmianā fabricare: hypocritas & epicureos gignere & alere: infirmo ruinam parare: Deum ludificari, populū consultò fallere. Hęc sunt mysteria conciliationis Danæicæ. Sic nos rusticos placat, ut heresin, quā retinet, latenter infinet. Sub verbis Symboli ea, quæ Symbolum non dicit, abscondit.

Transylv.  
van. lib. 2.  
cap. ult.  
Francisc.  
Dav. disput. Al-  
ban. 3.

De incarn.  
lib. 3. c. 12.  
& in iudic.  
de Lib.  
Concord.  
de errorib.



August.  
tom. 7. li.  
3. cont.  
epist. Pe-  
lag. in fin.

Tom. 3.  
De fid. &  
Symb. c. I.

Illis nos blandimentis Sacramentarij invitant ad concordiam, & propriam arguunt stabilire hæresin. Honorifica Danæus Symbolum afficit injuria, & optimam & justissimam & solam relictam pacificationis & concordiam inter Orthodoxos & hæreticos rationem prædicans, ut Symboli tollat veritatem & sinceritatem. Generalitates enim suas & brevitatem obscuriorem tantis effert præconijs, ne hæresis ipsius pateat. De re obscura id astruit, unde hoc, quod verissimum, fundatissimum, notissimum est, destruat, ut olim de Pelagianis pronuntiabat Augustinus. Dolet, æstuat, stomachatur, larvam in Concordiam libro sibi detrahi, & lupinos animos atq; insidias, lanigero vellere deducto, manifestari. Sed evenit, quod volumus. Nam latebras aperire, dolos detegere, ab amicis inimicos discernere ad victoriam militantis Ecclesiam facit. Nulla hinc Concordiam ratio justissima & optima cum hostibus; nulla cum fallis fratribus. Hi enim partim Symbolis ac nominibus ementitis in castris nostris contra nos armantur, partim insidijs absconditi delitescunt, ut in medio ardore prælij nos circumveniant, atque à tergo & lateribus adoriantur. Id quod Augustinus ipse in ipso Symbolo hoc expertus: Etiam ore, inquit, profiteamur fidem, quam corde gestamus, Quæ fides ne fraudulentis calliditatibus hæreticorum possit in nobis alii-  
,, qua ex parte violari, pia cautaq; vigilantia providendum est. Et  
,, mox: Sub ipsis ergo paucis in Symbolo constitutis plerique hære-  
,, tici venena sua occultare conati sunt: quibus restitit & resistit divi-  
,, na misericordia per spiritales viros, qui Catholicam fidem non tan-  
tùm in illis verbis accipere & credere, sed etiam Domino revelante,  
intelligere atque cognoscere meruerunt. Scriptum est enim: Nisi  
credideritis, non intelligetis. Sed tractatio fidei ad muniendũ Sym-  
bolum valet: non ut ipsa pro Symbolo gratiam Dei consequenti-  
bus, memoriæ mandanda & reddenda tradatur, sed ut illa, quæ in  
Symbolo retinentur, contra hæreticorũ insidias autoritate Catho-  
lica & munitiore defensione custodiat. Hæc Augustinus. Adeo in-  
solentes & furtivas hæreticæ intelligentiæ pravitates detegendas  
duxerunt Orthodoxi, ut teste Athanasio contra Arrium, Ecclesia-  
stica semper moris fuerit disciplinæ, si quando hæreticorum nova  
,, doctrina emergit, contra insolentes quæstionum mutationes, re-  
,, bus immutabiliter manentibus, nominum vocabula immutare, &  
,, significantius rerum naturas exprimere. Similes heroas hac mundi  
sece divina misericordia excitavit, qui Symboli doctrinã & mentem  
ex



ex solidis Scripturæ fundamentis, contra multiplices hæreses & errores constanter & expressè proponerent. Sic à Pontificia Symboli corruptela segregatæ nostræ sunt Ecclesiæ per Confessionem Augustanam, per articulos Smalcaldicos. Cùm verò postea hostis ille mortalium astutè laboraret, ut semina falsæ doctrinæ & dissensiones in Ecclesijs & Scholis spargeret; ad eamq; artem integumentis aliquibus verborum abuteretur, edita est Formula Concordiæ nostræ. In hac accuratè & disertè à corruptelis Calvinianis nostra Symboli sententia & fides se jungitur. Concordiæ librum, ut piam & genuinam sententiam Augustanæ Confessionis juxta ac Symboli exprimentem, nostræ Ecclesiæ receperunt, approbarunt, corde & ore retinent. Hæc pacificationis nostra norma. Huic subscribat, cui Concordia cordi. Hanc sine dubio sua illa Danæus, seu Augustanam sua Augustiniana Torrensis, Ambrosiana sua Nopelius, Hieronymiana Steinwichius, abrogare cogitavit: sed cogitavit tantum. Concordiæ enim articulos nemo novos, nemo quintum aut Sextum Evangelium calumniabitur, nisi cui & Christus novus est, & Symbolum novum, & nova omnia illa Scripturæ fundamenta, quibus innituntur, & ex quibus constructi sunt. Quid est ergò, ut Augustini verbis utamur, quòd dicunt, de simplicibus Episcopis sine congregatione Synodi in locis suis sedentibus extorta Concordiæ subscriptio? Nunquid Apostolis extorta est subscriptio, qua Calvinianorū impia dogmata tanta manifestatione in Concordia subvertuntur? Quam etiam nec Athanasianum, nec Nicenum Symbolum, nec ulli Canones Orthodoxorum Conciliorum; tam nec nostra vel Apostolico vel sibi mutuò contraria sunt.

Et tu ergo, Danæe, & quisquis es, aut liberè nostra profiteri, aut constanter tua loquere. Quod planissimè fieret per ejusmodi regulam: Qui Zuinglij, Calvini, & reliquorum ejus generis hominum hæresin, & Wolffij mendacia (historiã inquam) Augustanæ Confessionis admittentes, profitentes ac toto corde amplectentes; Lutheri ac reliquorum Orthodoxorum Scripta, ipsūq; Concordiæ librum reiiciunt, reprobant, ac repudiant; Pacifici dicantur & Christiani. Hæc quia corde sentit & credit Danæus, ore simpliciter confitendum erat. Non fidei, sed dubitationis est, ambiguis sententijs sermonē liberare. Fides pura & aperta nō quaerit strophas & argumenta verborum. Non debet Symbolū esse latibulum vel hæreticis & epecticis, vel οὐδέτερος ἰσχυρί, ambidextris &

Præfat.  
lib. Concord.  
cord.

August. 17.  
4. cont.  
Epist. Pelag. in fin.

2. Cor. 4.  
13.  
Rom. 10.  
10.  
Ps. 116, 10.



neutralibus. Ij enim statuunt se in acie nostra, ut rusticitate simula-  
ta, quasi Apostolorum Symbolo acquiescant, in tuto abeant: cum  
moliantur terga nostra confodere.

Sed nec illos vel Symbolum vel Catechismus excusat, qui sub  
ejus prætextu Scripturarum S. lectionem, auscultationem, medi-  
tationem, conciones, hactanta luce, negligunt, totos se negocijs  
humanis, aut certè nimium dedunt. Id non rusticitas, sed periculo-  
sus contemptus est. Catechisationem rudium D. Augustinus non ab-  
ductionem, sed ad Scripturas introductionem esse vult. Quem in  
finem ipsis Rufinus volumina Canonica evidenti numero designat.  
Sunt articuli aphorismi, theses, maximæ, theoremata, axiomata ge-  
neralissima, ad quæ conciones & quæ in S. literis hinc inde carptim  
docentur, referamus: ad quæ mens in invocatione & meditatione  
respiciat. Ne si omni cortice & omni compendio destituamur; Spi-  
ritum pro vado confectari, aut inconfecto cursu confici necesse habe-  
amus: ne tardorum memoria laboret, sed ut omnis homo possit di-  
cere, possit tenere, quod credit. Usque dum partes ac species do-  
ctrinæ cœlestis indies distinctius cognoscat & intelligat. Quoties  
enim Apostoli Alphabetarios, elementarios, pueros, infantes, imper-  
fectos utiusmodi reprehendunt & improbant? quoties & quàm se-  
verè eosdem adhortantur, ut adolescant & grandescant, ut perfe-  
cti, ut viri, ut sapientes & prudentes evadant: donec perveniamus  
omnes in mensuram ætatis plenæ adultæ Christi? Hoc consilio  
Thessalonicensibus se scribere memorat Apostolus, ut suppleat, quæ  
desint fidei illorum. Hoc consilio suum Theophilo misit Lucas Eu-  
angelium, ut de quibus in Catechismo informatus sit, eorum agno-  
scat certitudinem. Ipsum populum inbet Dominus non tantum le-  
gere, sed & ἐρευνᾶν Scripturas. **הַמְשִׁבֵּלִים** intelligentes, qui at-  
tentè, disertè, rectè ac sapienter Scripturas cognoscunt, fulgebunt,  
ut splendor firmamenti. Deniq; à quibus ordo ille studiumq; pro-  
ficiendi ac progrediendi fastiditur, periculum ijs minatur autor E-  
pistolæ Hebr. præsentissimum, ut etiam ab ipsis elementis princi-  
pijsq; eloquiorum Christi, à Symbolo & catechismo decidant indi-  
gnissimè.

Quæ omnia cum ita sint, ecquis Christianorum non agnoscat,  
longè verissimam esse Concordiæ nostræ sententiã, qua credimus,  
confitemur & docemus, *unicam regulam & normam*, secundum  
quam omnia dogmata, omnesq; doctores æstimari & judicari o-  
porteat,

Tom. 4. de  
Catechi-  
sand. rud.  
de Fid. &  
Symb. c. 1.

Ruffin. in  
exposit.

August. in  
Enchirid.  
ad Lauren.  
c. 7. li. I. de  
Symb. ad  
Catechum.  
Ser. II. 7. &  
131.

I. Cor. 2. 6.  
& 3. 1. &  
13. II. &  
14. 20.  
Eph. 4. 13.  
Col. 1. 9.  
I. Thef. 3.

Den. 12.

Heb. 5. 12.

porteat, nullam omnino aliam esse, quam Prophetica & Apostolica  
 Scripta: reliqua vero sive Symbola, sive Patrum aut neotericorum  
 Scripta illis adeo subijci, ut alia ratione non recipiantur, nisi testi-  
 um loco, qui ostendant, quomodo singulis temporibus S. literæ in  
 articulis controversis in Ecclesia Dei à doctoribus, qui tam vixe-  
 runt, intellectæ & explicatæ fuerint, & quibus rationibus dogma-  
 ta cum S. Scriptura pugnantia rejecta & damnata sint? Ad hæc  
 Symbola hodie pertinet Augustana Confessio & liber Concordiæ.  
 Ex horum sensu qui Symbolorum Symbolum intellectum confes-  
 sus fuerit: de hoc qui nobiscum consenserit, cum eo de Capite Pon-  
 tifice Romano consensus facilis erit. Sufficiet illi, ut nobis, veritatē  
 sectando in charitate, adulescere in illum per omnia, qui est caput,  
 nempe Christus: Hunc enim Deus dedit caput super omnia ipsi Ec-  
 clesiæ; quæ est corpus illius, complementum ejus, qui omnia in  
 omnibus adimplet. Credentes illam regulam fidei, catholicam te-  
 nent unitatem. Illa fides tunica est & lorica: tunica contra confu-  
 sionem: lorica contra adversitatem. Cùm autem venerimus ad il-  
 lum locum, ubi regnabimus, non opus est ut dicamus Symbolum:  
 Deum videbimus; ipse Deus visio nobis erit; visio fidei hujus mer-  
 ces erit: Amen, Amen.

Eph. 4, 15.

Eph. 1, 22.

Aug. tom.

10. Homel.

42. in fin.


#### Corrigenda & supplenda.

*A 3 lin. 37. pertractumve. A 4 lin 21. in fin. qui non videt, quanti. &  
 pag. versa lin. 2. se controvers. lin. 34. init. strictissime. B lin. 5. compu-  
 taverint. B vers. lin. 35. tantum per se. B 2 vers. lin. 3 quem. B. 4 lin.  
 8. Ecclesias.*










reformatit Danubius 96


dolubius 103

1012









2

Homilia  
De  
AVTORITATE  
SYMBOLI APO-  
STOLORUM,

*In almà VVitebergensium Academia publicè  
hora 9. antmeridiana 12 Ianuar.  
epachæ Christi 1601,*

habita  
à  
M. CONRADO RVHELIO,  
VVitebergensi.

VVITEBERGÆ,  
Typis M. Georgij Mulleri,  
ANNO M. DCI.

